



The Holy See

PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE **SUPREMUM MUNUS***

VICARIATUS APOSTOLICI JESSELTONENSIS, KUCHINGENSIS, MIRIENSIS SEIUNGUNTUR
A LEGATIONE APOSTOLICA IN INDONESIA
ET SUBICIUNTUR DELEGATIONI APOSTOLICAE THAILANDENSIS, LAOSIENSIS, MALACENSIS
ET SINGAPORENSIS.

Ad futuram rei memoriam. — Supremum munus apostolicum Nos inducit, ut solleter diligenterque ea praestemus, quae nomini christiano propagando et saluti fidelium in regionibus degentium, quae ab Evangelii praeconibus excoluntur, magis conducere videantur. Curandum igitur est Nobis, ut res in quibusdam Asiae orientalis territoriis ratione his temporibus magis consentanea componantur; scilicet visum est Nobis Vicariatus Apostolicos Jesseltonensem, Kuchingensem et Miriensem, qui usque adhuc Legationi Apostolicae in Indonesia erant obnoxii, inde distrahere aliique subicere auctoritati. Quae cum ita sint, Nos e consulto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, praedictos Vicariatus Apostolicos Jesseltonensem, Kuchingensem et Miriensem, a Legatione Apostolica in Indonesia seiungimus et Delegationi Apostolicae Thailandensi, Laosiensi et Paeninsulae Malacensis adicimus, quae in posterum *Delegatio Thailandensis, Laosiensis, Malacensis et Singaporensis* appellabitur. Contrariis quibusvis nihil ostantibus. Haec edicimus, statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Novembris, anno MCMLXVII, Pontificatus Nostri quinto.

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

*A.A.S., vol. LX (1968), n. 4, pp. 189-190

© Copyright 1967- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana